

genitum a Patre; cui uniioni sufficienter correspondet mensura gratiæ secundum definitionem divinæ sapientiæ. Ergo secundum D. Thom. licet Deus non possit gratiam Christi augere valore extrinseco, & moraliter ordinando eam ad aliquid majus, nec etiam eam augere intensivè de potentia ordinaria, quia est in summo, non absolutè, sed juxta illam potentiam ordinariam, seu ut dicit D. Thom. juxta definitionem divinæ sapientiæ, quæ propter unionem hypostaticam talem mensuram gratiæ taxavit; absolutè tamèn de potentia extraordinaria, & juxta aliam definitionem, posset illam intensivè augere; hæc enim omnia important verba D. Thom. si benè perpendantur, & conferantur cum præcedentibus.

Prob. ratione fundamentali, desumpta ex D. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 7. o. ubi agit de augmento charitatis. Non repugnat, gratiam habitualement Christi augeri intensivè, neque ex parte ipsius gratiæ, neque ex parte causæ illius, neque ex parte subjecti: ergo ex nullo capite; adeoque potest augeri de potentia Dei absoluta. Prob. Antec. 1. Non ex parte gratiæ, quia est participatio divinæ naturæ, quæ, cum sit infinita, est in infinitum sincategorematicè participabilis. 2. Non ex parte causæ, scilicet Dei, qui est infinita virtutis. 3. Non ex parte subjecti, quia subjectum scilicet anima Christi recipit gratiam secundum potentiam obedientialem; atque potentia obedientialis creaturæ, licet sit finita entitativè, categorématicè, & in actu, est tamèn infinita sincategorematicè: ergo. Prob. Min. Omnis potentia passiva commensuratur activæ, ita ut, si potentia activa sit infinita, oportet, quod potentia illi obediens in quantum talis sit obediens infinitè sincategorematicè: alias, si solum ab ea possit moveri usque ad finitum terminum, non erit potentia obedientialis ad infinitam potentiam, ut talem: atque potentia obedientialis est potentia ad obediendum infinitæ potentie Creatoris: ergo. Undè D. Thom. tum loco cit. tum q. 29. de verit. art. 3. ad 3. loquens de ista capacitate creaturæ ad gratiam, dicit: *Quod potentia obedientiæ secundum quod potest recipere aliquid a Deo, non impletur; quia quicquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia ad recipiendum a Deo.*

*Solvantur Objectiones.*

Obj. 1. S. Thom. toto hoc præsentis art. 12 probat, gratiam habitualement Christi non posse augeri, neque ex parte formæ seu gratiæ, quia est in summo; neque ex parte subjecti, quia ab initio conceptionis fuit in termino: ergo. R. Hæc intelligi debere de potentia Dei ordinaria; & non extraordinaria, ut ipsemet S. Doctor se explicat ib. ad 2. & infr. q. 10. art. 4. ad 3. prope retulimus in probationibus Conclusionis. Imò ex ipsemet corpore articuli patet; æquè enim absolute dicit, gratiam Christi non posse augeri ex parte subjecti, quia est in termino, sicut in aliis Sanctis, quam ex parte formæ; atque tamèn certum est gratiam ex parte subjecti, quod est in termino, posse de potentia Dei absolute augeri: ergo.

Inst. Intelligit S. Doctor, Christi gratiam ex parte sui non posse augeri de potentia Dei absolute: ergo. Prob. Ant. S. Doctor intelligit, gratiam Christi esse in summo gradu, quo major nec esse, nec intelligi potest; atque quod dari potest de potentia absolute, intelligi potest: ergo. Prob. Maj. S. Thom. probat mensuram gratiæ, sicut mensuram cujuslibet formæ, desumi per ordinem ad suum finem, qui est unio rationalis creaturæ ad Deum; atque, inquit, *non potest esse, nec intelligi major unio, quam quæ est in persona*: ergo intelligit gratiam Christi, &c. R. N. Ant. Ad prob. N. Maj. Ad prob. D. Maj. S. Doctor probat, mensuram gratiæ desumi per ordinem ad suum finem intrinsecum, N. Maj. extrinsecum, Subdistinguo: per ordinem ad finem extrinsecum absolute, N. ut subest definitioni sapientiæ divinæ, C. & concessa Min. N. Conseq.

Explicatur. Duplex est finis gratiæ, unus intrinsecus, qui est unio ipsa accidentalis, & participativa Dei; & hæc pertinet ad essentiam gratiæ, undè sumitur latitudo intensiva: alter est extrinsecus, ut visio beatifica, & ipsa unio personalis ad Deum, quam constat esse extrinsecam gratiæ; siquidem possit absolute fieri sine gratia habituali, aut cum minori, quam sit in Christo, ut si infantem baptizatum assumeret cum illo parvo gradu gratiæ, in quo est. Clarum est ex verbis D. Thom. ipsum loqui de fine extrinseco, scilicet de ipsa unione personali, quæ quidem major intelligi non potest. Sed cum dicit, mensuram gratiæ desumi per ordinem ad illum finem, hoc intelligendum est non absolute, sed juxta definitionem, & ordinationem divinæ sapientiæ, quæ immediate, & proximè talem mensuram illi taxavit, ut ipse se explicat in Resp. ad 2. jam cit. Undè relinquunt, quod secundum aliam definitionem divinæ sapientiæ non repugnet absolute diversam mensuram, & majus augmentum dari in illa gratia. Igitur gratia Christi propter unionem personalem fuit summa pro eo ordine, in quo producit, quod est connaturaliter esse summa; habuit enim rationem capitis su-

per alios in genere gratiæ; & hoc est esse summa secundum definitionem divinæ sapientiæ, quæ omnibus formis connaturales terminos præfixit juxta connaturalem ordinem, in quo eas condidit. Undè petit connaturaliter gratia Christi, quod omnes alia gratiæ in illo ordine sint illi inferiores, & subjectæ, non tamèn quod non possit absolute in alio ordine, & statu rerum produci alia gratia sublimior, & intensior in Christo, vel etiam in pura creatura, præter connaturalem ordinem.

Repones: Si gratia Christi posset absolute augeri, posset dari major unio cum Deo; quod tamèn expressè negat S. Thom. Ergo. R. D. Ant. Posset dari major unio accidentalis, & participativa, C. Ant. Major unio substantialis, N. Et de hac tantum negat S. Thom. posse dari, aut intelligi majorem. Summatim: ad hæc itaque, & alia D. Thom. loca, in quibus dicit gratiam Christi non posse augeri, duplex est solutio adhibenda. Vel enim loquitur de augmento extrinseco gratiæ, secundum quod est infinita moraliter, & respectivè ad unionem personalem, undè habuit æstimabilitatem infinitam: vel si loquitur de augmento intrinseco, & intensivo, intelligendus est secundum connaturalem statum, & modum a divina sapientia prædeterminatum, non per ordinem ad absolutam Dei potentiam; juxta explicationes, quas ipsemet S. Doctor dedit locis cit. in Probationibus, ubi ait, quod id, *quod dictum est de gratia, quod non potest esse major, quam gratia Christi, dictum est de gratia per respectum ad unionem Verbi; licet posset dari sublimior gradus secundum infinitatem potentie divinæ.*

Obj. 2. Gratia Christi habet quiddam pertinere potest ad rationem gratiæ: ergo augeri non potest etiam de potentia Dei absolute. Ant. est D. Thom. hic supra art. 9. Prob. Cons. Quia si augeretur, illud augmentum pertineret ad rationem gratiæ: ergo ante illud non habebat, quiddam pertinere ad rationem gratiæ. R. ut antè D. Ant. Gratia Christi habet, quiddam pertinere potest ad rationem gratiæ, moraliter consideratæ, & per respectum ad unionem Verbi, C. physicè consideratæ, & secundum intensionem intrinsecam, Subdistinguo: Habet, quiddam pertinere potest ad rationem gratiæ secundum definitionem divinæ sapientiæ, & connaturalem modum, quem petit in hoc statu, C. secundum potentiam absolutam, N. Et pariter N. Conseq. Ad ejus probat. claritatis causa, D. iterum: ergo ante non habebat, quiddam pertinere ad rationem gratiæ quantum ad omnem modum intensionis absolute possibilem, C. quantum ad omnem modum sibi connaturalem, proportionatum, ac debitum pro isto ordine rerum, N.

Ins. In Christo fuit plenitudo gratiæ, ut dictum est; atque quod plenum est, nihil ultra recipere potest: ergo. R. D. Maj. In Christo fuit plenitudo gratiæ juxta connaturalem suum statum, & de potentia Dei ordinaria, C. absolute, & de potentia Dei extraordinaria, N. ad ejus sensum, D. Min. N. Conseq.

Repones: Capacitas obedientialis Christi fuit totaliter impleta per gratiam: ergo in eo fuit plenitudo gratiæ etiam per respectum ad absolutam potentiam. Ant. est D. Thom. hic art. 9. & prob. ratione. Capacitas obedientialis est finita, cum oriatur, & conveniat naturæ: ergo potest per limitatam formam totaliter impleri: conveniens autem fuit, impleri per gratiam Christi, quæ est in summo. Ergo. R. D. Ant. ut supra: Capacitas obedientialis Christi fuit totaliter impleta respectu potentie Dei absolute, N. respectu finis præfixi a definitione divinæ sapientiæ, C. Et ad prob. D. Capacitas obedientialis est finita entitativè, & categorématicè, C. obedientialitèr, & sincategorematicè, N. Obedit enim, & subjicitur potentie infinite, quæ secundum suam virtutem infinitam potest operari in creatura, non tot, quin plura.

Obj. 3. In singulis qualitatibus possibilis est certus terminus augmenti, ultra quem augeri nequeunt; atque is competeat gratiæ Christi, quæ erat in summo: ergo. Ant. est D. Thom. hic ad 1. R. D. Ant. in singulis qualitatibus possibilis est certus terminus augmenti, ultra quem augeri nequeunt secundum connaturalem statum talis formæ, quæ commensuratur subjecto, cujus propria passio est, C. Ant. Et hoc sensu dixit hic S. Doctor ex Philosopho, quod *Omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis*: Secundum statum potentie Dei absolute, N. Ant. hic enim non est terminus *natura constantium*, sed ultra omnem naturam. Imò, dato Ant. pro qualitatibus naturalibus, negatur de gratiæ tum quia non est propria passio animæ; tum quia recipitur in ea secundum potentiam ejus obedientialem; & insuper est participatio divinæ naturæ infinite participabilis, undè petit nullum habere terminum sincategorematicè.

Inst. Gratia habet intrinsecam limitationem generis, & differentie: ergo & limitatam gradum intensionis. R. D. Cons. ergo & gradum intensionis limitatum actu, seu categorématicè, C. Id enim sufficit ad essentiam finitam: limitatum in potentia, & sincategorematicè, N.

Obj. 4. cum Henno. Christi gratia non potest esse aucta in infinitum, alias esset simpliciter infinita: ergo nec potest augeri

ri in infinitum; potentia enim ordinatur ad actum. R. D. Cons. Ergo non potest augeri in infinitum categorématicè, ita ut tandem deveniat ad infinitum actu, C. Cons. Non potest augeri in infinitum sincategorematicè, N. Non potest enim ita perfici, quin & plus in infinitum.

Obj. 5. cum eodem. Nulla est implicantia, quod Deus det Christo tantam gratiam, quantum potest ipsi dare; atque, si dedisset talem, non esset amplius augmentabilis: ergo. Prob. Maj. Si foret implicantia, esset idè quia potentia Dei exhauriretur, & limitaretur; atque falsum Conseq. ergo. Prob. Min. 1. Potentia Dei non dicitur exhausta, & limitata ex hoc, quod non possit producere impossibile; atque gratia perfectior perfectissima foret impossibilis: ergo. 2. Posset Deus, si vellet etiam circa illam gratiam potentiam suam per totam æternitatem exercere, aliquos nempe gradus destruere, & novos producendo: ergo. R. 1. hoc argumento dumtaxat probari, potuisset dari Christo gratiam, quæ non posset augeri; at, de facto datam fuisse, non probatur. R. 2. N. Maj. ad prob. data Maj. N. Min. ad 1. prob. D. Maj. Potentia Dei non dicitur exhausta, & limitata ex hoc, quod non possit producere impossibile, supposito quod aliud restat possibile produci, C. Si nihil aliud sit possibile produci, N. Non igitur idè præcisè inferitur, exhaustam & limitatam esse Dei potentiam, quia non posset producere gratiam perfectiorem perfectissima, quod est impossibile; sed quia nihil ultra restaret possibile produci, undè limitaretur, & exhauriretur divina poten-

tia, a qua provenit rerum possibilitas. Indè patet Responsio ad 2. probationem; licet enim Deus posset destructis prioribus gradibus novos producere, non tamèn perfectiores; & sic nihil ulterius, & perfectius restaret producendum, quod est divinam potentiam esse limitatam, & ex illa parte exhaustam. Insuper permisi secundam Majorem; quia non ex hoc solo capite repugnat, sed etiam ex parte gratiæ, quæ est participatio divinæ naturæ, plus, & plus in infinitum participabilis. De his, & similibus argumentis vide plura in Physica de Infinito.

Obj. 6. cum eodem. Si Christi gratia posset augeri, Christus per opera sua meritoria illius augmentum consecutus fuisset, quandoquidem haberent illius opera meritoria omnem condignitatem ad tale augmentum requisitam; atque, &c. ergo. R. N. Sequelam Maj. quia Christus erat comprehensor, & in termino: gratia autem in termino, etsi multa bona opera faciat, non crescit, nec meretur suum augmentum, ut patet in Beatis, & in animabus in Purgatorio; meritum enim solum datur in Viatoribus.

Instat præfatus Auctor. Christus, licet comprehensor, meruit gloriam corporis, resurrectionem, nominis exaltationem: ergo & augmentum gratiæ, si esset possibile. R. N. Cons. Disparitas est, quod quia carentia gloriæ corporis ad aliquod tempus conducebat ad finem Redemptionis, eam Christus ab initio non habuit, adeoque eam potuit mereri; ab initio autem habuit gratiam in summo secundum connaturalem statum, adeoque respectu illius fuit comprehensor, & in termino; undè eam mereri non potuit.

## DISSERTATIO IX.

## DE GRATIA CHRISTI, SEGUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIE.

## D. Thom. Quæst. 8.

## ARTICULUS I.

*Utrum Christus ut homo sit Caput Ecclesie, tam quoad corpus, quam quoad animam?*

Sicut Ecclesia dicitur (*Hic q. 8. a. 1. o.*) unum corpus mysticum per similitudinem ad corpus naturale hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus: ita Christus dicitur caput Ecclesie mysticè, seu moraliter, metaphora desumpta per analogiam ad caput naturale in corpore humano. Undè eo perfectius erit caput, quo magis assimilabitur capiti humano. Certum est autem, Christum ut Deum esse caput nec Ecclesie, sed & totius mundi. Est ergo questio de Christo ut homine. Undè

Dico 1. (*ib. a. 1. o.*) Christus ut homo est caput Ecclesie. Intelligit tamèn ly *Us* non omninò reduplicative, sed potius specificative, id est, ut homo subsistens persona divina. Prob. ex Scriptura. (*ib. in a. 5. c.*) Apost. ad Ephes. 1. dicit de Christo: *Suscitans illum a mortuis; & constituens ad dexteram suam in caelestibus... ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Apostolus autem loquitur ibi de Christo ut homine; ut Deus enim non fuit suscitatus a mortuis. Prob. (*ib. o.*) Proprium & per se constitutum capitis, ut differat a cæteris membris, consistit in tribus prærogativis: 1. est ordo, scilicet supereminentia super alias partes; caput enim est prima pars corporis incipiendo a superiori, & supereminens cæteris: 2. est perfectionis plenitudo; in eo enim resident omnes sensus tam interiores, quam exteriores, in aliis autem membris solus tactus. 3. est virtus, seu influxus in membra; tum interior influendo motus, & spiritus animales in alia membra, tum exterior dirigendo & gubernando illa in suis motibus propter vim sensitivam & motivam ibi dominantem. Atque hæc tres prærogative reperiuntur spiritualiter in Christo ut homine respectu Ecclesie: ergo. Prob. Min. 1. Primatum obtinet inter cæteros homines non quidem tempore, sed dignitate; quatenus est primus Prædestinatorum: omnes receperunt gratiam per respectum ad ipsum; & ejus gratia est eminentior ex conjunctione ad Verbum. 2. Est in eo plenitudo gratiæ, ut diximus 3. Influxit gratiam in omnia membra Ecclesie, juxta illud Joann. 1. *de plenitudine ejus omnes accepimus*; est enim causa meritoria, & efficiens instrumentaliter omnium nostrarum gratiarum. Ergo.

Dices 1. Caput est membrum corporis; atque Christus non est membrum Ecclesie: ergo nec caput. R. D. Maj. (*ib. ad 2.*) Caput naturale est, &c. C. Caput morale, seu metaphoricum, N. Ut enim advertit Auctor, in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia; sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Undè v. g. licet Christus sit agnus, non sequitur, quod sit brutum. Est ergo, juxta S. Doct. (*In 3. d. 13. quæst. 2. a. 1. ad 6.*) discrimen hoc inter caput na-

turale, & morale, seu mysticum, quod caput naturale dependeat a cæteris membris, & a toto corpore, ut nutriatur, & vivat, & idè est membrum. At verò caput morale Ecclesie, scilicet Christus, nullatenus dependet a membris, & a corpore, ut spiritualiter vivat, sed e contra; & idè concludit S. Doctor loco cit. non posse dici propriè membrum Ecclesie licet tamen alibi in c. 12. 1. ad Cor. 12. q. 29. de verit. a. 4. ad 6. concesserit, Christum posse dici membrum Ecclesie sub alia ratione minus propria, quatenus scilicet est unius corpori, seu quatenus secundum humanitatem recipit influxum a Deo tantum a præcipuo capite totius Ecclesie. Et hoc sensu quidam intelligunt illud Apost. 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membris*; referendo ly *membro* ad Christum: licet alii velint, sensum esse, Corinthios esse aliquam partem membrorum corporis Christi, juxta quod in multis textibus Græcis habetur: *Et membra ex parte.*

Dices 2. Cor influat in caput, & in alia membra: ergo Christus debet dici cor Ecclesie, & non caput. R. (*Hic ad 3.*) Quod caput habet manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam; & idè cordi comparatur Spiritus S. qui invisibiliter Ecclesiam vivificat, & unit: capiti comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo homini visibiliter præfertur.

Dico 2. (*Hic a. 2. o.*) Christus non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus est caput hominum, & quantum ad animas, & quantum ad corpora. Ratio 1. partis est; (*ib.*) quia tota Christi humanitas est instrumentum divinitatis conjunctum, operans nostram salutem, operaque nobis salutaria. Sic tamèn intellige, ut sit unus, & idem influxus utriusque, non duplex seorsim. Ratio 2. partis est; (*ib.*) quia Christus non solum influat in animam gratiam tam habitualement, quam actualement, &c. sed etiam influat in corpora nostra duplici modo; 1. secundum quod facit nunc ea esse arma seu instrumenta justitiæ in operibus exterioribus virtutum; 2. quia in Patria influat in ea immortalitatem, & cæteras gloriæ dotes.

## ARTICULUS II.

*Utrum Christus sit Caput omnium hominum?*

Docet S. Th. (*ib. a. 3. o.*) Christum esse caput omnium hominum, sed diversimodè; quorundam actu, aliorum in potentia; quorundam semper, aliorum ad tempus; quamvis scilicet vel recipiunt, vel recipere possunt secundum legem Dei ordinariam aliquem influxum a Christo. Ut certa ab incertis separemus.

Suppono 1. (*ib.*) Christum esse caput in potentia omnium hominum viatorum etiam infidelium: quia nullus est viator, qui non possit per gratiam a Christo capite derivatam justificari, & salvari. *Illi, qui sunt infideles*, inquit Auctor (*ib. ad 1. o.*) *est actu*



non sint de Ecclesia, sicut tamen de Ecclesia in potentia, que quidem potentia in duobus fundatur; primo quidem & principaliter in virtute Christi, que est sufficiens ad salutem totius humani generis; secundo in arbitrio libertate. In hoc ergo differt caput naturale a Christo capite mystico, quod illud possit tantum membra jam habita conservare & movere; Christus vero præterea possit potentia sibi conjuncta alia sibi procreare, respectu quorum ideo dicitur caput in potentia. Ab hac suppositione non excludendo existimamus pueros in utero matris; pertinent enim inchoatè ad vitam viatorum, & consequenter ad vitam salvandorum; & licet non sint immediatè capaces remedii, quod ministerio hominum confertur, scilicet Baptismi, sunt tamen capaces mediæ, quatenus extrahi & expediti possunt.

Suppono 2. (Ib.) Christum non esse caput nec actu nec potentia damnatorum, & puerorum in Limbo; quia illi non uniuntur Christo, nec uniri possunt etiam per fidem, saltem secundum presentem iustitiam, & potentiam Dei ordinariam, ratione status perpetuæ damnationis. Quod autem dæmones dicantur credere, intelligendum est de fide naturali, quæ nec est a Christo, nec ordinatur ad vitam æternam. Posset tamen dici illorum caput, eo sensu quo Gubernator est caput civitatis propter excellentiam, & dominationem exteriorem in eos. Suppono 3. (Ib.) Christum esse actu caput hominum beatorum in Cælo, & existentium in Purgatorio; quia sunt nobilissima membra Ecclesiæ, illi triumphantis, hi patientis, in hos gratiam sanctificantem, in illos gloriam influente Christo. Suppono 4. Christum esse caput omnium hominum viatorum existentium in gratia: quando in illa existunt, sive sint prædestinati, sive reprobi; quia pro illo statu Christo uniuntur per fidem, & charitatem, ab eoque vitam supernaturalem accipiunt. Sic manus abscondenda a corpore remanet illius membrum, quando non absconditur.

Unde merito damnate sunt in Concilio Constantiensi Sess. 15. hæ tres propositiones Joannis Hus. 1. *Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est Prædestinatorum universitas.* 2. *Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eò quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidit.* 3. *Præscitus, etsi aliquando sit in gratia secundum presentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ; & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.*

Hæc sunt partim certa, partim communiter recepta inter Theologos; sed in tribus est difficultas: 1. An Christus sit caput actu fidelium in peccato mortali existentium? 2. An sit caput actu infidelium, saltem baptizatorum, & quorum hæresis est occulta? 3. An sit caput primorum Parentum pro statu innocentie? Quæ triplex difficultas triplici §. resolvitur. Unde sit

### §. I. Prima Difficultas resolvitur.

Dico: (Ib.) Christum esse actu caput fidelium omnium etiam in peccato mortali existentium, imperfectè tamen, & secundum quid. Prima pars est communis contra quosdam Theologos, qui, licet admittant fideles peccatores esse partes Ecclesiæ, negant tamen esse ejus membra, adeoque & Christi, qui est Ecclesiæ caput. Sed hæc est necessario ab omnibus tenenda, si quidem opposita sententia sit damnata a Clem. XI. in Bulla *Unigenitus* contra Quenellum, cujus propositiones infra referemus.

Prob. itaque 1. ex D. Thom. (*Ibid.* o.) Christus, inquit, est caput omnium hominum secundum diversos gradus: 1. enim, & principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam, 2. eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem. 3. eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem. Ergo. Prob. 2. ratione. Fideles, etsi in peccato mortali existentes, participant actu influxum Christi capitis in aliquo vinculo permanenti, nempe in fide, quam ex ejus meritis habent, & qua permanentè ipsi, & aliis membris uniuntur in uno credito: ergo.

Confr. Christus est actu caput Ecclesiæ: ergo & omnium pertinentium ad illam. Subsumo: atqui fideles peccatores actu pertinent ad Ecclesiam. Ergo. Prob. Subsumptum. 1. ex Scriptura Math. 3. Ecclesiæ comparatur arbor, in qua similes cum tritico paleæ comburendæ reperiuntur: & cap. 13. comparatur sagenæ missæ in mare, in qua pisces boni, & mali congregantur. Cap. 25. comparatur decem virginibus, quarum quinque sunt fatuæ sine oleo charitatis. 2. Ecclesiæ definitur a Theologis ex Nicolao Pontifice, & Innocentio cap. Firmiter, *Collectio seu Congregatio fidelium*.

Prob. 1. pars 1. ex D. Thom. (*Ibid.* ad 2.) Qui verò, ait, his subduntur peccatis, (scilicet mortalibus) non sunt membra Christi actualiter sed potentialiter, nisi fortè imperfectè, per fidem informem, que uniuntur Christo secundum quid, & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiam;

fides enim sine operibus mortuus est, ut dicitur Jacob. 2. Percipiunt tamen tales a Christo quemdam actum vite, qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliquid ab homine. Quibus verbis S. Doctor utramque partem nostræ conclusionis docet, & probat.

Prob. ratione. Ut quis sit perfectè membrum Christi, requiritur perfecta unio cum Christo, quæ est per charitatem, & perfecta participatio vite spiritualis, quæ est in hac vita per gratiam, & in altera per gloriam: ergo fidelis in peccato mortali existens non est perfectè membrum Christi, Adde, quod sit simpliciter membrum Diaboli: ergo non perfectè membrum Christi.

### Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem conclusionis. Multi Patres, Cyprianus Ep. ad Magnum, Hieron. ad Ephes. 5. Aug. l. 1. contr. Petil. c. ult. & l. 2. contr. Crescon. dicunt, malos non pertinere ad Ecclesiam: ergo. R. laudatos Patres vel loqui de perfectis membris Ecclesiæ, quæ vivunt vita perfecta per charitatem; vel malorum nomine intelligere infideles; vel tandem sumere Ecclesiam restricto sensu, prout est congregatio solum iustorum.

Obj. 2. Peccatores sunt membra diaboli: ergo non Christi. R. D. Conseq. Ergo non Christi sub ea ratione, qua sunt diaboli, C. Sub alia ratione, & imperfectè, N. Patet ex dictis.

Inst. Nullatenus sunt filii Dei: ergo nec membra Christi. R. N. Conseq. Disparitas est, quod homo filius Dei adoptivus constituitur per gratiam sanctificantem, membrum autem Christi per ejus influxum, quem habet peccator fidelis.

Repones: Peccator fidelis est membrum mortuum: ergo nullum influxum recipit a capite. R. D. Ant. Est membrum mortuum ex aliqua parte, C. ex omni parte, N. Recipit enim adhuc a capite aliqualem influxum, scilicet fidei, quæ est principium vite spiritualis: sic in naturalibus membrum privatum gradu vite sensitivæ remanet tamen membrum, quando retinet gradum vite vegetativæ. Unde S. Doctor. hic ad 2. comparat peccatores fideles membris mortificatis, non mortuis.

Subsumes: Atqui ad rationem membri requiritur, quod vivat vita perfecta totius, scilicet sensitiva: ergo. Prob. Subsumptum. Ideo capilli, ungues, sanguis, humores non sunt membra corporis, quia non vivunt vita sensitiva, licet vegetativa polleant: ergo. R. N. Subsumptum. Ad prob. D. Ideo capilli, &c. non sunt membra corporis perfecta, quia, &c. C. Ant. non sunt membra imperfecta, N.

Obj. 3. Ecclesiæ est sancta. Et Cant. 4. dicitur tota pulchra, & sine macula: ergo. R. D. Ant. Ecclesiæ est sancta ratione puritatis fidei, Sacramentorum, &c. C. ratione membrorum suorum, Subdistinguo; nobiliorum, qui sunt justi, C. omnium, N. Unde, quando dicitur Cant. 4. sine macula, & alibi sine ruga, intelligitur secundum D. Thom. (*Ibid.* ad 2.) de Ecclesia triumphante.

Obj. 4. Peccatores pertinent ad Civitatem Babylonicam, juxta Aug. l. 14. de Civit. c. 28. ergo non ad mysticam Jerusalem, scilicet Ecclesiam, utpote quæ sunt Civitates contrarie, alia confusionis, alia pacis. R. D. Cons. Ergo non ad mysticam Jerusalem sub eadem ratione, C. sub diversa ratione, N. Nihil enim obstat, quod unus, & idem civis sub diversa ratione pertineat ad duas Civitates, etsi inter se inimicus, puta ad unam ratione nativitatis, ad alteram ratione domicilii.

### Consectaria.

EX dictis colliges 1. Christum esse caput Fidelium excommunicatorum, & schismaticorum præcisè; quia, licet hi separentur ab Ecclesia quoad unitatem charitatis, & illi quoad communionem precum, & Sacramentorum, utriusque tamen servare possunt fidem: licet verum sit, schisma facile dilabi in hæresim, & vix fuisse ullum schismaticum, qui non fuerit hæreticus. Unde dixi, *schismaticorum præcisè*. Colliges 2. Christum esse caput Catechumenorum; quia, licet secundum exterius Ecclesiæ regimen non reputentur membra Ecclesiæ antè Baptismum, attamen ratione fidei interioris, quæ sæpè adjunctam habet charitatem cum voto Baptismi, ad Ecclesiam pertinent, & a Christo capite influxum recipiunt.

Colliges 3. Inter propositiones Quenellianas justè damnatas esse, quæ recensentur numero 73. 74. 75. 76. 77. & 78. I. est: *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cali, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.* 2. *Quid est Ecclesiæ nisi cætus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, expectantium gratiam futuri sæculi?* 3. *Ecclesiæ, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò sanctos ut membra.*

bra. 4. *Ecclesiæ est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, sicut a, subsistentia, & persona; unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.* 5. *Nihil spatiosius Ecclesiæ Dei, quia omnes electi, ac justi omnium sæculorum illam component.* 6. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, membro Christi, cessat interitus habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.* 7. *Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judæorum, & caput ejus Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.* His enim propositionibus respectivè consideratis, & ad invicem collatis, aperit negat Quenellus, fideles peccatores esse de corpore Ecclesiæ, & Christum esse eorum caput.

### §. II. Secunda Difficultas resolvitur.

Constat inter Theologos, Infideles, qui nunquam fuere baptizati, ut sunt Pagani, & Idololatæ, non esse actu membra Christi, nec Ecclesiæ. Sed difficultas est de Hæreticis, qui sunt baptizati, maxime si eorum hæresis sit occulta. Cajetanus vult, eos esse actu membra Christi ratione characteris baptismalis; Bellarminus, quia est occulta eorum hæresis. Contra quos

Dico: Christus non est actu caput Hæreticorum etiam occultorum. Est D. Thom. tum hic o. ubi verbis jam citatis recenset tantum tres classes eorum, quorum Christus actu est caput, scilicet eorum, qui ipsi uniuntur per gloriam, per charitatem, & per fidem. Tum in 3. d. 13. q. 2. art. 2. Quæstione. 2. o. ubi constituit triplicem unitatem Ecclesiæ, materialem in fide, per convenientiam in uno credito; formalem in charitate, per convenientiam in uno amato; completivam in Spiritu S. omnia replente: atqui Hæretici etiam occulti nullo ex his modis, aut Christo uniuntur, aut ad unitatem Ecclesiæ pertinenti ergo.

Prob. 1. Hæretici etiam occulti non sunt actu membra Ecclesiæ: ergo Christus non est eorum caput actu. Prob. Antec. 1. Fides est fundamentum Ecclesiæ ad Ephes. 2. Matth. 16. ad Coloss. 1. 2. August. libr. de unitate Ecclesiæ c. 4. loquens de Hæreticis occultis ait: *Multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen non sunt in Ecclesia.* 2. Ecclesiæ definitur Congregatio Fidelium: ergo. Prob. 2. De ratione capitis actualis est non solum supereminencia, & perfectio, sed præcipue influxus vitalis in membra; atqui Christus nullum actualiter influxum vitalem, vitalitè scilicet supernaturali, habet in Hæreticos etsi occultos: ergo. Prob. Min. Fundamentum, & initium vite supernaturalis est fides, qua caret Hæretici etiam occulti: ergo.

Si dicas, Christum influere in eos per gratias actuales. R. Talem influxum non sufficere, ut Christus dicatur caput illorum, 1. quia non est vitalis, sed tantum dispositio ad vitam; 2. quia non est quid permanens; vinculum enim uniens membra alicujus corporis, tum inter se, tum cum capite, debet esse aliquid commune, & permanens, ut patet in naturalibus, & etiam civilibus: sic non dicitur aliquis de corpore alicujus familie, licet soleat illam aliquando invisere. 3. quia alias Christus esset etiam caput Infidelium non baptizatorum, siquidem in eos pariter influat gratias actuales; quod tamen non admittunt Cajet. & Bellarmin.

### Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. cum Cajetano. Christus influat in Infideles baptizatos aliquid spirituale permanens, nempe characterem baptismalem: ergo. R. D. Ant. Aliquid spirituale permanens, quod sit vitale, & uniens in uno credito, vel amato, N. quod non sit vitale, nec uniens in uno credito, aut amato, C. Ant. & N. Cons. Si enim ratione talis influxus Christus foret caput actu Infidelium baptizatorum, foret etiam actu caput damnatorum baptizatorum: id quidem concedit Cajetanus, sed expressè negat S. Thom. hic in fine corporis.

Repones cum eodem: Innocentius III. cap. *Veniens* de Presbytero non baptizato dicit, non solum per Sacramentum fidei, sed etiam per fidem Sacramenti, non effici membra Christi: ergo solus character baptismalis constituit membrum Christi. R. N. Cons. quæ male inferuntur ex sententia Innocentii; ex ea enim tantum sequitur, quod non solum Baptismus, sed fides interior cum illius voto, ut in Catechumenis, constituat nos membra Christi; non autem dicit, quod id faciat Baptismus absque fide interioris recepta.

Inst. cum eodem: Hæreticus vi characteris baptismalis puniatur ab Ecclesia; atqui non possit puniri ab Ecclesia nisi ut membrum illius: ergo. Prob. Min. Non pertinet ad Ecclesiam judicare de iis, qui extra ipsam sunt, ut docet Apost. 1. Cor. 5. ergo. R. D. Min. Non possit puniri ab Ecclesia, nisi esset membrum illius actu, vel debito, C. Min. actu præcisè, N. Sufficit enim, ut Ecclesiæ habeat jus illos puniendi, si ipsi non

pareant, quod ratione characteris baptismalis, & professionis Christianæ in Baptismo emisse, teneantur ipsi parere. Sic Rex jus habet puniendi militem fugitivum. Unde sententia Apostoli intelligenda est de iis, qui ita sunt extra Ecclesiam, ut nunquam intra ipsam fuerint.

Obj. 2. cum Bellarmino. Summus Pontifex, lapsus in hæresim occultam, remanet adhuc Ecclesiæ membrum: ergo Christus remanet etiam caput ejus actu. Prob. Ant. Pontifex, lapsus in hæresim occultam, remanet adhuc caput Ecclesiæ, ut docent Cajetanus, Scoto, Cano, Saures, & alii ergo & ejus membrum. R. N. Ant. Ad Prob. N. Cons. Disparitas est, quod caput constituatur in ratione capitis per influxum in membra; membrum autem constituatur in ratione membri per receptionem influxum in se. Unde, quia Pontifex in hæresim occultam lapsus retinet adhuc jurisdictionem, per quam influat in Ecclesiam eam regendo, ita etiam retinet rationem capitis: quia tamen non amplius recipit influxum vitalem fidei, aut charitatis a Christo invisibili, & primario capite, non potest amplius dici Christi, nec Ecclesiæ membrum.

Inst. Repugnat, esse caput alicujus corporis, & non esse membrum illius, siquidem caput sit præcipuum corporis membrum: ergo. R. D. Ant. Repugnat, &c. respectu capitis naturalis, C. respectu capitis moralis, N. Instantia est in Christo, qui est caput morale Ecclesiæ, & non tamen ejus membrum, ut diximus. Ratio discriminis igitur est, quod caput naturale non possit influere in alia membra, nisi recipiat vite influxum ab anima. At verò caput morale, qualis est Pontifex, potest jurisdictionem, & imperium exercere in Ecclesiam, & ejus membra, licet anima Ecclesiæ, quæ est charitas, non informetur, nullumque influxum vitalem recipiat. Unico verbo, Papa constituit membrum Ecclesiæ per fidem particularem, quam potest perdere, & caput Ecclesiæ per jurisdictionem, & potestatem, cum hæresi interna compossibilem.

Obj. 3. In eodem agro juxta Matth. 13. crescunt triticum, palea, & zizania, id est, justi, peccatores, & hæretici; Sed per agrum illum intelligitur Ecclesiæ: ergo. R. 1. ad Maj. loco cit. Matth. nullam mentionem fieri palearum, sed tantum tritici, & zizaniarum, & zizania Christum ipsum interpretatum fuisse scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem. 2. ad Min. Eam negant Aug. libr. Quæst. Evang. in Matth. q. 11. *Quantum*, inquit, *Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est.*

Obj. 4. cum Tirino. Si sola hæresis interior sufficit, ut quis non sit amplius membrum Ecclesiæ, & e contra sola fides interior sufficit, ut sit membrum Ecclesiæ, ut in Catechumenis; Ecclesiæ erit invisibilis; atqui falsam Cons. ergo. Prob. Sequela. Tam hæresis interior, quam fides interior sunt invisibiles, atqui, qui exterius apparent membra Ecclesiæ, possunt esse hæretici interiores; & e contra, qui videntur exterius esse extra Ecclesiam, possunt habere fidem interiorem: Ecclesiæ autem componitur ex suis membris: ergo. R. N. Sequela. Ad probat. D. Min. Qui exterius apparent membra Ecclesiæ, possunt esse hæretici interiores, alii, C. omnes collectivè. N. Sicut enim Ecclesiæ tota non potest deficere in fide, ita nec omnia membra ejus collectivè. Unde semper visibilibus apparebit Ecclesiæ in collectione membrorum cum capite visibili, scilicet Romano Pontifice. Adde, tales hæreticos interiores posse dici membra apparentia Ecclesiæ, quam exterius, & visibilibus profitentur; unde etiam in ipsis remanet visibilis.

### §. III. Tertia difficultas resolvitur.

Supponimus, Christum esse caput antiquorum Patrum, qui in lege naturæ, vel scripta fuerunt; etiam primorum Parentum post lapsum, quia etsi tempore Christum præcesserint, gratiam tamen medicinalem, & redemptionem receperunt dependentè a Christo venturo. Unde solum est difficultas de primis Parentibus in statu innocentie.

Dico: Christus non est caput primorum Parentum pro statu innocentie: Est contra Scotistas, Suarezem, & nostrum Gonetum illis hic consentaneum disp. 14. art. 3. §. 3.

Prob. 1. Primi Parentes prius concipiuntur prædestinati ad statum innocentie, quam Christus sit prædestinatus: ergo non habent gratiam illius status ex influxu Christi, adeoque nec Christus est illorum caput pro illo statu. Prob. Ant. Christus non fuit prædestinatus nisi ex prævisione peccati Adæ; nisi enim Adam peccasset, Christus non venisset, ut latè probavimus dum de motivo Incarnationis: ergo. Quæ illic diximus, conferenda sunt cum hic dicendis, magnam enim habent affinitatem.

Prob. 2. etiam in hypothesi, quod Christus esset venturus, Adam non peccante. De facto ex vi presentis decreti nulla est gratia a Christo capite, quæ non sit ab ipso ut Redemptore, & ex morte ejus derivata; atqui redemptio, & mors Christi non pertinerunt ad statum innocentie: ergo. Min. admittitur



tur ab adversariis, qui dicunt, Adamo non peccante, Christum non fuisse venturum ut Redemptorem, & passibilem. Et patet etiam ex Aug. libr. de corrept. & grat. c. 11. dicente: *In illis bonis (Adam) Christi morte non genuit.* Major prob. 1. ex illo ad Hebr. 10. *Una oblatione*, id est, morte sua, consummavit in sempiternum sanctificatos. Ita ut, quicumque sanctificatus est per Christum, una illa oblatione sanctificatus est; aut si ab illa deficit, a sanctificatione Christi extraneus est. Ergo nulla est gratia à Christo capite, quæ non sit ex ejus morte derivata.

Prob. 3. eadem Maj. Perfectissimum, universalissimum, & efficacissimum meritum Christi ex genere operis, in quo alia merita tanquam in perfectissimo opere, & cæterorum sine consummatur, est passio, & mors eius, dicente Joanne c. 15. *Majorem hac dilectionem &c.* & Paulo ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cum peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Super quod locum D. Thom. *In hoc*, inquit, quod dicit commendat, immensitatem quamdam divinæ charitatis assignat. Atqui refero gratiam aliquam inferioribus operibus, & merito, dum denegatur perfectissimo, universalissimo, & efficacissimo operi, & merito, absurdum videtur; quin imò, inquit Joannes a S. Thom. temerarium, nisi accedat, vel urgentissima ratio, vel revelatio, cum id a splâ Dei voluntate pendeat: ergo de facto, & vi præsentis decreti nulla est gratia à Christo capite, quæ non sit ab ipso ut Redemptore, & ex morte ejus derivata. Confirm. Christus sibi ipsi pro morte suam meruit gloriam corporis, juxta illud Luc. 24. *Nonne sic oportuit Christum pati, & intrare in gloriam?* Et illud ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem.* Propter quod Deus exaltavit illum: ergo a fortiori, quibuscumque aliis meruit, per mortem suam meruit.

#### Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Thom. hic art. 3. docet, Christum esse caput omnium hominum: ergo, & primorum Parentum. R. D. Ant. Esse caput omnium hominum quantum ad personas. C. quantum ad omnes statum, & tempus personarum, N. Fuit ergo Christus caput primorum Parentum, sed non pro statu innocentie.

Inst. cum Suarezio. S. Doctor ibid. dicit, quod Christus est caput omnium hominum secundum totum tempus mundi: ergo. S. Thom. non comprehendit solum omnes personas, sed etiam omne tempus, adeoque, & tempus innocentie. R. N. Ant. Non enim ita loquitur S. Thom. sed hæc sunt verba ejus: *Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum.* Ubi ly secundum totum tempus mundi, non afficit ly omnium hominum, sed ly generaliter accipiendo: ita ut sensus sit: *Accipiendo generaliter corpus mysticum Ecclesie secundum quod ejus membra non sunt simul, sed per totum tempus mundi, Christus est caput omnium illorum.* Inde tamen non licet inferre: *Ergo est caput illorum pro omni tempore, & pro omni statu.* Fundatur hæc intelligentia in ipso textu S. Thom. Dixerat enim S. Doctor, corpus Ecclesie mysticum in hoc differre a corpore naturali, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, quia corpus Ecclesie instituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem. Quando igitur subdit: *Sic ergo accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum.* Sensus manifestus est, quod accipiendo corpus mysticum, cujus membra constituentur ex hominibus, qui sunt a principio mundi, Christus est caput omnium, non tamen pro omni tempore.

Repones. S. Thom. in c. 1. Joann. lect. 10. dicit de Christo, quod de plenitudine ejus acceperunt omnes justi, qui fuerunt, & erunt, & etiam omnes Angeli. Et infra ibid. dicit, quod plenitudo gratie, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis. Hanc utramque auctoritatem Henno male citat ex lect. 10. super c. 2. ad Hebræos. R. hanc utramque auctoritatem esse intelligendam ut priores, nempe de omnibus personis, & gratiis, sed non pro omni statu, & tempore. Quomodo autem id sit intelligendum de Angelis? Dicemus art. sequenti.

Obj. 2. cum eodem Suarezio, & Henno auctoritatem D. Augustini c. 3. in Ps. 56. ubi dicit: *Caput nostrum Christus est, & corpus illius capitis nos sumus.* Numquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justis, &c. Ergo. R. hunc textum non refertur integrum, subdit Aug. *Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, & in ipsius fide, & ipsi SANATI sunt, in quibus, & nos.* Quæ verba aperte indicant, Augustinum loqui de omnibus sanandis, adeoque lapsis; non verò pro statu innocentie.

Obj. 3. Adam in statu innocentie habuit fidem Christi saltem ut consummatoris gloriæ: ergo Christus est ejus caput. R. D. Ant. habuit fidem Christi, id est, de Christo ut objecto,

C. id est, de Christo, & per Christum, N. Sic Angeli, dum essent viatores, ut docet D. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. habuerunt fidem de Christo, & tamen non fuerunt justificati per Christum, ut dicemus art. seq.

Inst. ex concessis Adam habuit fidem Christi, ut consummatoris gloriæ: ergo ut superioris, & perfectioris ipsum in gloria, adeoque, & capitis. R. D. ultimam partem consequentiæ: adeoque ut capitis aliquando futuri, quatenus aliquando foret consummator gloriæ, transeat; ut capitis actu influentis in eum pro statu innocentie, de hoc enim agitur, N. Dixi, *Transeat*; quia, cum illa consummatio gloriæ non esset futura, per influxum intrinsicum gratiæ, & gloriæ, sed secundum perfectionem illius extrinsecam, non potest dici hæc ratio proprie caput.

Obj. 4. Christus est finis status innocentie: ergo, & caput. Paret Cons. Quia finis habet prioritatem, perfectionem, & causalitatem supra id, quod sibi subordinatur; quæ conditiones constitunt rationem capitis, ut observatum est supra ex D. Thom. Prob. Ant. Omnia, quæ de facto creata sunt, tam in esse naturæ, quam in esse gratiæ, sunt ordinata ad Christum, & ipsi subiecta: ergo, & ille status. Ant. constat ad Hebr. 2. ubi Apost. illud Ps. 8. *Omnia subiecit sub pedibus ejus*, intelligit de Christo, subdit: *In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Et fortius 1. Cor. 15. *Cum autem dicat: omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia.* Ergo. R. 1. N. Cons. Quia caput ultra finalem influxum petit alium per modum efficientis, saltem moraliter, & meritorie, aut per modum gubernantis: neutrum autem Christus habuit respectu status innocentie; bene tamen primum respectu omnium justorum a lapsu ad Incarnationem: quia, licet merita Christi in intentione fuerint finis gratiæ Patrum, tamen in exercitio prævisa meruerunt illam tanquam effectum, ut diximus supra de merito Incarnationis. R. 2. N. Ant. ad prob. D. Ant. omnia, quæ de facto creata sunt &c. sunt ordinata ad Christum sub omni statu, N. Ant. sub aliquo statu, C. Ant. & N. Cons. Explicatur: Deus 1. secundum providentiam generalem (quæ potest dici specialis qua supernaturalis) prædestinavit Adamum in statu innocentie, & integritatis; prævisio ejus peccato, prædestinavit secundum providentiam specialem, & efficacem Christum in ejus remedium; deinde in signo posteriori omnia per providentiam generalem prædestinata subiecit Christo Redemptori, atque ad ejus gloriam ordinavit. Unde sequitur, Christum esse finem gratiæ productæ in statu innocentie ut reparandæ, non tamen gratiæ illius ut producendæ, seu sub illo statu producendæ, adeoque nec illius status. Et hoc sensu verificatur, quod omnia subiecta sunt Christo. Vide Q. citatam de motivo Incarnat. Obj. 1.

Obj. 5. Gratia Adami in statu innocentie est ex meritis Christi: ergo Christus est caput Adami quoad illum statum. Prob. Ant. Gratia Adami pro statu innocentie est effectus ejus prædestinationis; atque prædestinatio Adami, sicut & nostra est ex meritis Christi: ergo. Prob. Maj. Illi gratiæ Adæ in statu innocentie correspondet gradus gloriæ: atque gratia, cui correspondet gloria, est effectus prædestinationis: ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Maj. ad probat. D. Maj. Illi gratiæ Adæ pro statu innocentie ut primo datæ, seu reduplicativè ut est illius status, correspondet gloriæ gradus, N. Maj. ut reparata, & secluso illo statu, C. Maj. Et concessa Min. ad sensum Maj. N. Cons. Dico igitur, quod illa gratia, reduplicativè ut est illius status, & prout in illo statu non erat effectus prædestinationis Adæ, quia prout in illo statu non ordinabatur efficaciter ad gloriam, sed tantum ut reparata, adeoque presuppositivè perdita, & extra hunc statum innocentie; & consequenter prout in illo statu non pertinebat ad causalitatem, & prædestinationem Christi, sed tantum ad providentiam generalem, quæ in tantum potest dici specialis in quantum supernaturalis, non tamen in quantum efficacis.

Inst. Illi gratiæ Adæ, reduplicativè prout est gratia illius status, correspondet gradus gloriæ: ergo. Prob. Ant. In Prædestinato, qui amittit primam gratiam, illa gratia amittenda est effectus prædestinationis, & illi respondet gradus gloriæ, non solum reduplicativè pro statu reparationis, sed pro primo statu, in quo collata est: ergo similiter, &c. R. N. Ant. ad prob. N. Cons. Disparitas est, quod in Prædestinato gratia ut primo collata datur ex efficaci intentione perducendi ad gloriam per talia media, id est per gratiam amittendam, & recuperandam; prædestinatur enim, ut poenitentis futurus, non ut innocens: unde illi gratiæ ut tali potest correspondere gradus gloriæ. At verò Adamo non est collata gratia pro statu innocentie ex efficaci intentione perducendi ad gloriam sub illo statu, sed ex providentia generali: amittendam enim erat ille status, & ex illius amissione dependebat Decretum Christi venturi, & prædestinandi, ex cujus virtute, & meritis omnes prædestinantur. Unde illi gratiæ sub illo statu reduplicativè nullus respondet gradus gloriæ.

Obj. 6. cum Henno. Christus est caput Ecclesie, atque cepit

pit Ecclesia in terra, cum primò primi parentes ceperunt esse sancti: ergo. Prob. Min. ex Aug. in Psalm. 128. *Numquid modò & non olim est Ecclesia? Ex quo vocatur Sancti, est Ecclesia in terra:* ergo. R. D. Min. Cæpit Ecclesia in terra materialiter, cum primò primi parentes ceperunt esse sancti, C. Min. formaliter, N. Min. In tantum enim Ecclesia existit in primis parentibus pro statu innocentie, in quantum erant personæ, quæ aliquando futura erant membra Christi. Et hoc sensu intelligenda est auctoritas Aug. vel dicendum, quod loquatur de Ecclesia, prout est Congregatio Fidelium habens Deum pro capite.

Obj. 7. cum eodem. Debemus Christo concedere quiddam fuit ad majorem ejus dignitatem, & est sine illo inconvenienti possibile; atque quod primi parentes habuerint gratiam in statu innocentie dependenter a meritis prævisi Christi fuit ad majorem ejus dignitatem, & est sine illo inconvenienti possibile: ergo. Prob. Min. Christus abstrahendo a statu possibili fuit decretus antequam decerneretur Adam: ergo sine illo inconvenienti potuerunt, &c. R. N. Min. ad prob. N. Min. cujus falsitas patet ex dictis de motivo Incarnationis. Insuper ad Maj. dico, non debere concedere Christo quiddam fuit ad majorem ejus dignitatem, in quantum ipse voluit, & præordinavit, non autem contra ejus voluntatem, & præordinationem. Porrò ipsemet declaravit, quod non venerit vocare justos, sed peccatores: quod non esset opus bene habentibus Medico, sed male habentibus. Frustrà ergo contra ejus intentionem adulamur plenitudini ejus influxus, dum asserimus justis, sicut peccatoribus profuisse.

Obj. 8. cum eodem. Christus fuit caput Angelorum: ergo & primorum parentum. R. N. Cons. Disparitas patet ex dicendis art. sequenti. Unde sit

#### ARTICULUS III.

##### Utrum Christus sit caput Angelorum?

Christum esse caput Angelorum aliquo modo, puta quoad externam gubernationem, sicut Papa dicitur caput Ecclesie, non videtur posse negari sine errore, tunc propter aperiissima Scripturæ testimonia, ad Coloss. 2. Matth. 4. ad Hebr. 1. Matth. 14. ad Ephes. 1. & SS. Patrum, quorum quædam modò referemus; tunc quia esset negare Christum esse Principem, ac Dominum Angelorum, atque totius Ecclesie triumphantis, quæ ex hominibus, & Angelis constat. Sed difficultas est, quomodo sit caput Angelorum; an verè & proprie, an tantum improprie, an influendo in eis gratiam, & gloriam essentialem, an tantum accidentalem?

Dico 1. (Hic art. 4. a.) Christus est verè & proprie caput Angelorum, tamen minus perfectè, quam hominum. Prob. (Ibid. in a. s. c.) pars. 1. ex Scriptura: ad Coloss. 2. dicitur Christus caput omnis principatus & potestatis. Atque Apostolus ibi loquitur de Christo ut homine, siquidem ibidem dicit, quod in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; & quod Deus suscitavit illum a mortuis. Prob. 2. ratione. (Ibid. a.) Ubi est unum corpus, necesse est ponere, & unum caput; atque unum est corpus mysticum Ecclesie constans hominibus & Angelis, & hominum Christus est caput: ergo & Angelorum. Maj. patet ex naturalibus, & politis. Min. pro. 2. parte patet ex dictis. Quoad 1. partem prob. 1. ex c. 15. Luc. ubi ad unum ovile dicitur pertinere nonaginta novem oves relictas in deserto, quibus significatur Angeli; & ovem perditam, quam Pastor quærebat, qua significatur genus humanum: ergo.

2. Prob. eadem pars ratione. Una multitudo ordinata in unum finem secundum distinctos actus, sive officia dicitur unum corpus politicum, seu morale, ad similitudinem corporis naturalis; atque Ecclesia, ut ex Angelis & hominibus constituta facit multitudinem secundum diversos actus, & officia ordinatam ad unum finem, scilicet possessionem gloriæ, aliter enim & aliter id collaborant Angeli & homines: ergo.

Prob. 3. altera ratione. (Ibid.) Christus ut homo habet respectivè ad Angelos conditiones capitis: ergo. Prob. Ant. Ratione unionis ad Verbum Angelis præminet, & perfectioris quam ipsi dona gratiæ participant: item in eos influat, si non gratiam & gloriam essentialem, ut dicemus, saltem accidentalem: ergo. Prob. Ant. quoad ultimam partem, de qua est difficultas. Est in eis causa gaudii illius, quod percipiunt ex Solum suarum reparatione: influat in eis clariorem notitiam plurimum mysteriorum fidei, ut colligit Hieronymus super c. 3. Ep. ad Ephes. ex illis verbis: *Ut innotescat principibus & potestatibus in celestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Idem asserit S. Dionysius cap. 7. De Coelestis Hierarchy. ubi ait, Christum exercere in Angelos actus hierarchicos eos perficiendo, purgando, & illuminando circa misteria fidei, ut clarius cognoscant, quæ obscuris aliquo intelligent. Idem docet S. Thom. Theol. Billuart. Pars Tertia.

q. 29. de verit. art. 7. ad 5. Et in 3. D. 13. q. 1. quæstione. 2. ut dicemus infra. Itæm influat in eos gratias accidentales necessarias ad implendum ministerium circa salutem hominum, ad quod deputati sunt: ergo.

Secunda pars Conclusionis patet ex dictis, & patebit ex dicendis in Conclus. seq. & in Sol. Obj. Quæ scilicet Christus influat in homines gratiam, & gloriam essentialem, in Angelos autem accidentalem. Itæm magis conformis est in natura cum hominibus quam cum Angelis: ergo.

Dico 2. Christus sic est caput Angelorum, ut in eos non influat gratiam, & gloriam essentialem, sed accidentalem tantum. Est contra Scotistas & quosdam Thom. Prob. 1. pars. auctoritate. 1. Ex c. 2. ad Heb. ubi Apostolus disserens de excellentia Christi super Angelos sic dicit: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedi mihi Deus: Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Ex quibus verbis sic arguuntur Omnes qui sanctificantur a Christo, vocantur pueri, & fratres Christi; atque Angeli non possunt sic vocari: ergo. Prob. Min. Illi vocantur ab Apostolo pueri, & fratres Christi, qui communicaverunt carni, & sanguini: atque id non potest dici de Angelis: ergo.

Nec potest responderi, Apostolum non loqui de omni sanctificatione, sed tantum de sanctificatione redemptiva. Contra enim est 1. quod id gratis dicatur. 2. Quia, si fuisset alia sanctificatio per Christum quam redemptiva, qua fuissent sanctificati Angeli, Apostolus, qui eo loci intendebat probare excellentiam Christi super Angelos, eam certè non omisisset, aliàs valde diminutè processisset in eo, quod intendebat.

Hinc auctoritati addo parabolam Pastoris Matth. 18 & Luc. 18. qui reliquit 99. oves, id est, juxta Patrum interpretationem, novem Choros Angelorum, ut quæreret ovem, quæ perierat, id est, hominem. Itæm addo verbum Angeli Luc. 2. *Evangelizo vobis gaudium magnum, &c.* non omisisset sanè, & nobis, seu Angelis, si ipsis sicut hominibus natus fuisset Salvator. Unde S. Bernard. hom. 3. super Missus, hæc verba Isaie expendens: *Parvulus datus est nobis, &c.* ait: *Non Angelis quoque, qui cum magnum habent, parvulum non requirunt. Nobis ergo natus est datus, quia nobis necessarius.* Hinc faciunt etiam verba Christi jam citata art. præced. *Non veni vocare justos, sed peccatores: Non est opus bene habentibus Medico, sed male habentibus.*

Quoad D. Thom. expressa est ejus sententia in duobus locis; 1. Q. 29. de verit. art. 7. ad 5. ubi dicit: *Angeli non sunt viatores quantum ad premium essentialia; & idè quantum ad hoc nihil eis meruit Christus. Sunt autem aliquo modo viatores respectu præmii accidentalis, in quantum nobis ministrant, ad quod valet eis meritum Christi.* 2. In 3. d. 13. q. 2. art. 2. quæstione. 1. ubi dicit: *Non influat Angelis removendo prohibent, aut merendo gratiam, aut orando pro eis, qui a j. m. Beati sunt; sed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinent, secundum quod unus Angelus illuminat, purgat, & perficit.*

Prob. 3. iisdem rationibus, quibus probavimus §. præcedenti, Christum non fuisse caput primorum parentum. Prima. Decretum Incarnationis Christi supponit prævisum Adæ peccatum in executione, ut dictum est: ergo & diabolus suggerentem, eo enim factum est: ergo & diabolus prius lapsus, atque desertorem gratiæ, in qua conditus fuerat: ergo & Angelos bonos in ea gratia perseverantes, & glorificatos: ergo Incarnatio, ut prævisa non potuit illis causare hanc gratiam, & gloriam.

Secunda. His solum meruit Christus saltem gratiam, & gloriam essentialem, qui indiguerunt morte Christi, & pro quibus mortuus est, cum ejus merita non moverunt Deum nisi morte consummata, ut dictum est; atque Angeli non egerunt morte Christi, & pro illis non est mortuus Christus: ergo. Maj. probata est §. præc. Min. communiter asseritur a Partibus Aug. in Enchir. cap. 61. ait: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Bernar. Serm. in fer. 4. Hebdom. sanctæ dicit: *Mihi (passio Domini) data est, qui alteri dari non potuit: numquid Angelis? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non resurgit.* Id etiam patet ex consequentia Apostoli. 2. Cor. 5. *Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Ergo pro solis mortuis mortuus est. Atque Angeli namquam fuerunt mortui: ergo. Hinc etiam faciunt auctoritates, allatæ in prima probatione.

Dices contra istum rationem: Christus meruit sibi gloriam corporis, & Angelis gratiam, & gloriam accidentalem; atque non ista meruit per mortem suam: ergo. Prob. Min. Quia alias Christus diceretur mortuus pro seipso, quod est damnatum in Concilio Ephes. can. 10. & mortuus pro Angelis, quod negamus.



mus. Ergo. R. N. Min. cujus falsitas pro Christo patet ex illo Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem.* Propter quod & Deus exaltavit illum, &c. Ad Prob. N. Sequelam. Etsi enim Christus & sibi & Angelis morte sua gloriam accidentalem meruerit; non tamen idem potest dici mortuus pro se, nec pro Angelis; tunc quia ipse non indiguit absolute morte sua etiam ad hanc gloriam accidentalem, utpote quæ ipsi titulo connaturalitatis debebatur; tunc quia non ex motivo huius, & Angelorum gratiæ, seu gloriæ accidentalis fuit decreta per se primò mors Christi, & Incarnatio, sed tantum consequenter, & per accidens, primario autem propter redemptionem generis humani.

Respondet Henno, Christum morte sua meruisse omnem gratiam reconciliatricem, sed non præcisè sanctificantem. Sed contra 1. Probavimus supra, nullam gratiam omnino etiam præcisè sanctificantem derivari a Christo nisi per mortem ejus, qua, ut diximus ex Apostolo, *in sempiternum consummavit sanctificatos.* 2. Christus ipse, qui nulla reconciliatione indiguit, non tamen nisi per mortem suam sibi gloriam accidentalem meruit, ut diximus modò ex Scriptura. Quo igitur fundamentò dici potest, aliis meruisse gratiam sanctificantem aliunde, quam morte sua?

Respondent quidam Thomistæ, inter quos Contenson, Angelos duplici titulo habuisse gratiam, & gloriam essentialem. 1. titulo gratiæ donationis, & meræ liberalitatis Dei. 2. titulo mortis ejus; sicut Christus duplici titulo obtinuit gloriam corporis, scilicet titulo connaturalitatis, & meriti, ut dicebamus modò: imò & gratiam habitusalem, scilicet titulo connaturalitatis, & physice dispositionis. Et idem Christus non dicitur mortuus pro ipsis, quia non simpliciter morte sua meruit illis justificationem, sed tantum novo titulo. Sed contra. Peto, ad quem finem, & cui bono novus ille titulus habendi gratiam, supposito primo? Et quidem ad bonum Angelorum nihil confert; nam sine tali novo titulo eandem haberent gratiam, & gloriam. Nihil etiam confert ad gloriam Christi, quia non facit Angelos ab ipso dependentes nisi quoad titulum sine re; eo enim seculo, idem haberent, quod habent cum ipso. Unde gratia pro illis Christus mortuus esset, sicut si homines aliunde, quam per mortem ejus sanctificarentur, gratis mortuus fuisset Christus pro ipsis, juxta illud Apost. ad Galat. 2. *Si enim per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Adde, quod illi duo tituli sint inter se pugnant, & sese excludunt; titulus enim puræ misericordiæ, & meræ liberalitatis excludit omnem rationem justitiæ, quam tamen importat titulus meriti. Unde damnatur hæc 69. propositio Quesnelli: *Fides, usus, augmentum, pro emium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.* Tandem probavimus prima ratione, decretum Incarnationis supponere sanctificationem essentialem Angelorum. Quod autem Christum gloriam corporis, & gratiam habitusalem duplici titulo, connaturalitatis scilicet, & meriti, seu physice dispositionis habuerit, confert ad magnam ejus gloriam, quia uterque iste titulus est per ipsum, & ab ipso oritur, nec isti duo tituli sunt inter se pugnant.

Secunda pars Conclusionis patet ex dictis in 1. probat. 1. Conclusionis, & ex auctoritatibus D. Thom. relatis in 1. probat. 2. Conclus.

*Solvuntur Objectiones contra 1. Conclusionem.*

Obj. 1. Caput debet convenire cum membris in natura, atqui Christus non convenit cum Angelis in natura, imò ab eis specie differt: ergo. R. D. Maj. *(Ibid. ad 1.)* Caput naturale debet convenire cum membris in natura, C. Maj. Caput morale, seu mysticum, Subdistinguo: in natura generica, C. specifica, N. Et ad hunc sensum, D. Min. N. Cons. Fateor itaque, caput naturale exigere convenientiam cum membris in natura specifica, non quidem, ut rationem sui constitutivam in ratione capitis, si quidem id exigant etiam alia membra, sed ut quid præsuppositum. Aliter tamen dicendum de capite morali; aliis sequeretur, Deum non esse caput Angelorum, si quidem Angeli plus distent ab eo, quam Christus ab Angelis: sufficit itaque capiti morali, ut conveniat cum membris in natura generica: quomodo conveniunt Christus, & Angeli, nempe in gradu intellectuali: quin imò posset dici, eos convenire in natura specifica ordinis supernaturalis, quia eandem specie habent participationem divinæ naturæ ratione gratiæ habitusalis. Posset etiam responderi 2. distinguendo, quod caput naturale debet, &c. C. Maj. Caput ex omni parte perfectum, & absolutum aliter Maj. Caput minus perfectum, N. Fatetur autem, Christum hac ratione esse caput Angelorum minus perfectè, quam hominum.

Inst. Christus est caput illorum, qui pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus ejus; atqui Angeli non pertinent ad Ecclesiam: ergo. Prob. Min. Ecclesia est congregatio fidelium; atqui Angeli non habent fidem: ergo. R. N. Min. Ad prob. D.

Maj. *(Ibid. ad 2.)* Ecclesia secundum statum vitæ est congregatio fidelium, C. secundum statum Patriæ, N. Ut sic enim est congregatio comprehensivum. Christus autem non solum fuit viator, sed & comprehensor, & idem non solum fidelium, sed & comprehensivum est caput.

Obj. 2. Christus non fuit caput primorum Parentum sub statu innocentie: ergo nec Angelorum. R. N. Cons. Disparitas est, quod nihil primis Parentibus sub illo statu influxerit: Angelis autem influxit gratiam, & gloriam accidentales.

Inst. Nihil quoad accidentalia influxit primis Parentibus pro statu integritatis: ergo nec Angelis. R. N. Cons. Disparitas est 1. quod Christus conferat Angelis per influxum physicum gratias accidentales, & actiones hierarchicas purgando, illuminando, &c. gaudium autem accidentale de sedium suarum reparatione objective, & indirectè per justificationem, & glorificationem Sanctorum, quorum nullum fieri potest respectu status innocentie; qui & aliorum hominum, & Christi realem existentiam præcessit. Et supposito quod Christus in Angelis etiam per viam meriti influxerit, ut sonant verba D. Thom. altera est disparitas, quod, licet hi non sint justificati per Christum, sunt tamen ministri Redemptionis ejus, juxta illud Hebr. 1. *Omnes sunt ministrarii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis:* unde ad Christum spectat gratias, & præmia accidentalia ipsis tribuere propter ministerium. At verò Adam in statu innocentie nec erat redemptus a Christo, nec minister Redemptionis: unde nec ut redemptio libertatem, nec ut mortuo vitam, nec ut ministro mercedem, & præmia accidentalia tribuere debuit.

Subsumo: Atqui ille influxus Christi in Angelos quoad accidentalia non sufficit, ut sit illorum caput: ergo. Prob. Ant. Illorum dumtaxat Christus est caput, in quos influit ea dona, quibus constituuntur membra Ecclesiæ, vel militantis, vel triumphantis, quæ sunt gratia, caritas, fides, seu visio beatifica: ergo. R. D. Subsumptum: ille influxus in Angelos quoad accidentalia tantum non sufficit, ut sit illorum caput ex omni parte absolutum, & perfectum, C. ut sit simpliciter & absolute tale, N. per talem enim influxum salvantur conditiones requiritæ ad veri capitis rationem etsi minus perfecti, ut concedimus in conclusione. Quin imò non est de ratione capitis etiam naturalis, a fortiori moralis, ut influat formam substantialem, perquam membra constituuntur in ratione membri, sic v. gr. caput naturale non influit in membra animam, seu formam substantialem, sed tantum aliquem motum vitalem accidentalem.

Inferes: Ergo Christus debet etiam dici caput Infidelium. Prob. Illatio. Influxit etiam in eos gratias accidentales: ergo. R. N. Illationem. Ad prob. D. Ant. Influxit etiam in eos gratias accidentales ejusdem rationis ac in Angelos, N. diverse rationis, C. & N. Cons. Ideo igitur influxu gratiarum accidentalium est caput Angelorum, quia gratiæ, quas in illos influit, sunt permanentes, & vitales, communicanturque membris viventibus, & cum aliis in uno saltem amato unitis. At verò gratiæ actualis, quas influit in Infideles, non sunt permanentes, nec vitales, sed dispositio ad vitam: scilicet fidem, quæ est fundamentum vitæ supernaturalis: unde non communicantur subjectis viventibus, & cum Ecclesiæ membris in uno credito, vel amato unitis.

Obj. 3. Christus non est sponsus Angelorum, ut docet S. Thom. in 4. d. 49. q. 4. art. 4. ergo nec eorum caput. R. N. Cons. Inter enim sponsam & sponsam requiritur convenientia atoma, non vero inter caput, & membra, ut diximus.

Obj. 4. Chrysost. hom. 1. in Ep. ad Ephes. & Theophilactus ipsum secutus, negant Christum esse caput Angelorum: ergo. R. hos Patres negare, Christum esse caput Angelorum ea proprietate, quæ caput naturale dicitur respectu membrorum, quia scilicet non convenit in natura specifica cum Angelis; non tamen negare, esse caput absolute secundum alios respectus essentialis capiti. Dicit enim ibid. Chrysost. *Quid Deus unum omnibus posuerit caput secundum carnem, nempe Christum, & Angelis, & hominibus.*

*Solvuntur objectiones contra 2. Conclusionem.*

Obj. 1. ab auctoritate Scripturæ. 1. ad Ephes. c. 1. dicitur, Deum proposuisse in Christo *instaurare omnia, quæ in caelis, & quæ in terra sunt.* Et ad Coloss. 1. quod per eum reconciliavit omnia, *sive quæ in terris, sive quæ in caelis sunt.* 2. Apocal. 12. dicitur de Angelis, quod *vicerunt eum* (scilicet diabolum) *propter sanguinem Agni.* 3. Ad Rom. 5. dicitur: *si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Atqui non in plures homines, si quidem quot homines redimuntur gratia Christi, tot mortui sunt delicto Adæ: ergo in plures Angelos 4. Ad Heb. 2. dicitur, quod *decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat,*

auctorem salutis eorum per passionem consummare; atqui non homines in gloriam adduxerat ante passionem: ergo Angelos. 5. Joann. 14. dicitur: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me:* ergo nec Angeli.

R. ad 1. *(In hunc locum lect. 3.)* Sensus Apostoli esse instaurari omnia, quæ in caelis sunt, non quòd pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia in redimendo hominem reintegratur ruina Angelorum. Ps. 109. *implebit ruinas.* Ad verba Apost. ad Coloss. similiter dico, reconciliasse omnia, quæ sunt in caelis, & quæ sunt in terris, dum inimicitias, quas peccatum fecerat inter Angelos, & homines, solvit, & illorum ruinas reparavit. Ita Aug. cap. 61. Enchir. Ad 2. dico, Evangelistam non loqui de Angelis, sed de hominibus. Patet ex textu. Post narrationem enim prælium Angelorum cum diabolo, subdit. *Quia profectus est accusator fratrum nostrorum... Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni. & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Ubi manifestum est, Evangelistam non loqui de Angelis, sed de fratribus suis accusatis, quæ sunt in oculis, seu qui oderunt animas suas usque ad mortem; quod non potest competere Angelis, qui nec fratres sunt nostri, nec animas habent. Quin imò prælium, de quo hic fit mentio, juxta Estium, Riberam, & alios, non est illud, quod factum est initio mundi, quando Diabolus, & Angeli ejus ejeti sunt de caelo; sed quod, vel fit in Ecclesia, vel futurum est extremis temporibus, vel factum est in Christo pro nobis moriente. Ad 3. *(In hunc locum lect. 5.)* R. Quòd ly plures, secundum expositionem Aug. non sumitur ibi comparative, sed absolute, ut idem valeat ac multi. Equidem juxta S. Ambrosium ly plures comparative sumitur, sed tunc facit alium sensum, ut etiam advertit ibid. S. Thom. Etenim secundum Ambros. per ly unius delicto non intelligitur peccatum originale, quod per propagationem ad posterum descendit, sed peccatum idololatricæ, quod per imitationem ad posterum Adæ propagatur: & respectu hujus delicti, quod abundavit in multis, sed non in omnes, gratia Christi abundavit in plures, quia pro peccatis fidelium etiam mortuus est. Ad 4. *(In hunc locum lect. 3.)* R. Quòd ly adduxerat somendum sit secundum voluntatem, non secundum executionem, ita ut idem sit ac adducere decreverat, scilicet homines, & non Angelos. Quo sensu dicit Isaias 9. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis;* hoc est, secundum prædestinationem, & intentionem, non secundum executionem: vel ponitur verbum præteritum pro futuro, ut fit sæpius in Scriptura propter certitudinem prædictionis, & prophetiæ. Ad 5. *(In hunc locum lect. 2.)* R. Quòd nemo sive Angelus, sive homo veniat ad Patrem nisi per Filium, sed diverso modo; homo per Filium carne velatum, Angelus per Filium, ut est Deus.

Obj. 2. ab auctoritate Patrum. D. Hieron. in c. 1. ad Ephes. dicit, *Quòd absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnique creatura paveat creatoris adventum. Unde crux Salvatoris non solum ea, quæ in terra, sed etiam ea, quæ in caelis erant, purgasse perhibetur.* Greg. 1. 1. c. 2. in l. 1. Reg. Nullus, inquit, hominum neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum. Bernard. Serm. 22. in Cant. dicit: *Qui erexit hominem lapsus, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens; & hac ratione fuit aquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.*

Ad Hieron. Respondet Sylvius, hic ipsum non loqui assertivè, sed aliorum opinionem referens. Unde statim subjungit aliam expositionem, quam variis Scripturarum auctoritatibus confirmat. Hæc solutio admitti potest, quia in Præfatione adnotet Hieron. se tam propria, quam aliena dicitur, tam suos, quam veterum Scriptorum commentarios allaturum. Respondet Vasq. Dip. 49. c. 5. hæc verba Hieron. continere manifestum errorem contra fidem, tametsi non constat, inquit, utrum ex propria, an ex alterius sententia doceretur: ergo juxta Vasquestium non constat, an Hieronymus fuerit hereticus, necne. Hanc Responsionem ut temerariam, & tanto Doctori injuriosam egregiè confutat Joannes a S. Thom. Quocum dicendum est, hæc verba Hieronymi, quatenus sunt illius, sanam, & catholicum sensum continere. Et quidem in primis non dixit Hieronymus *Nullus Angelus est absque peccato*, ut male intelligit Vasques, sed verba Scripturæ retulit, quæ leguntur c. 15. & 25. Job. Hæc autem juxta Interpretes intelliguntur de homine, & sequentia, scilicet *sydera ipsa non sunt munda coram Deo, & Angelis, qui dicuntur non mundi negativè, propter limitationem naturæ, & carentiam quarundam cognitionum, propter quod indigent purgatione.* Quòd si in verbis, *nullus absque peccato est*, intelligantur Angeli, tunc peccatum non debet sumi strictè pro culpa morali respectu Angelorum, sed latè pro quocumque defectu naturæ; quo sensu nostra dicuntur peccata naturæ. Quandò ergo dicit, *crucem Salvatoris purgasse ea*, quæ sunt in caelis, & in terra, verum quidem est, sed diverso sensu juxta conditionem subsectorum: purgavit, quæ in terra sunt, a peccato; quæ autem in caelo a nescientia, vel aliis defectibus, quæ Christus Theol. Billuart. Pars Tertia.

tus tollit in Angelis exercendo erga eos tres actus hierarchicos, qui sunt perficere, illuminare, & purgare. Et sanè, per purgationem a peccato S. Hieronymum non intellexisse malum morale, patet ex ipsis verbis in caput sequens ejusd. Ep. ubi dicit, *quòd omnis creatura Domini sui cruce purgata sit:* non autem omnis creatura est capax mali morali.

Ad S. Greg. Dico, ipsum quoad Angelos loqui de Christo ut Deo, quoad homines de Christo, ut Deo simil, & homine. Ad S. Bernard. Similiter respondendum patet ex verbis, citata in objectione præcedentibus: *Quoniam, inquit, quòd erat Angelis (sanctificatio scilicet) factus est & nobis.* Supponit ergo, quòd antequam Christus heret homo in redemptionem nostram, jam esset sanctificans Angelos, utique ut Deus. Clarissus se explicat idem S. Doctor serm. 1. de Circumcisione: *Idem, inquit, & Angeli Salvator, & hominis, sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Sumit autem Redemptionem generalitèr, & latè, proit importat tam præservationem, quam liberationem a captivitate, ut patet ex textu objecto. Similis est danda responsio similibus fere verbis Sancti Fulgentii.

Obj. 3. ab auctoritate D. Thom. S. Doctor lect. 10. in c. 1. Joann. dicit, Angelos etiam de plenitudine Christi accepisse, cujus verba supra retulimus. Et ibid. infra dicit, *quòd plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Et q. 7. præced. a. 9. dicit, *quòd plenitudo gratiæ data fuit Christo, ut universali principio in genere habentium gratiam.* Ergo. R. Quòd, cum S. Thom. in his locis non explicet, quam gratiam Angeli acceperint a Christo, sed tantum loquatur generalitèr de gratia ut sic, & in genere; in locis verò in probat. adductis expressè neget Angelos a Christo gratiam, & gloriam essentialem habuisse; his potius, quam illis standum est. Unde ad 1. dico, Angelos accepisse de plenitudine Christi gratias accidentales. Ad 2. dico, hæc verba, *omnium gratiarum, & in omnibus intellectualibus creaturis*, secundum distributionem accommodatam intelligenda esse, ita ut quibusdam accidentalem, quibusdam essentialem, & accidentalem gratiam tribuerit. Cum enim S. Doctor ibi loquatur de efficientia physica gratiæ per Christum, ut patet ex contextu; certum est, ipsum non loqui de gratia, & gloria essentiali Angelorum, cum tunc Christus, ut homo non existeret. Ad 3. R. S. Thomam hoc, quod dixerat in hoc art. 9. explicare, & limitare ad naturam humanam art. seq. 11. ejusdem q. dum dicit, quòd conferret gratia Christo sicut cuidam universali principio gratificationis in natura humana. Quòd si intelligatur etiam de natura Angelica, solvendum est, ut supra de universalitate accommodat.

Obj. 4. a ratione, Christus fuit prædestinatus ante Angelos: ergo nihil obstat, quin Angeli fuerint prædestinati pro ipseum, & ex merito ejus, & consequenter quin ex eodem capite haberent gratiam essentialem, & gloriam, quæ sunt effectus prædestinationis. Prob. Ant. Christus est primus omnium prædestinatorum; dicitur enim de ipso Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me, & quòd sit primogenitus omnis creaturæ.* ad Coloss. 1. R. 1. Dato Ant. juxta Scotistas, N. Cons. quia in illa Sententia licet sit prædestinatus, ut consummator gloriæ ante Angelos, non tamen ut Redemptor, & passibilis: probavimus autem, nullum Christi meritum vi præsentis decreti vim habere nisi per mortem ejus. Sed R. 2. N. Ant. Ad Prob. dico, quòd Christus sit primus omnium Prædestinatorum prioritate perfectionis, & dignitatis, non autem causalitatis, nisi fortè finalis. Potest enim dici finis, non quidem prædestinationis Angelorum, cum fuerint prædestinati independentèr a Christo, & prius ipso; sed Angelorum prædestinatorum, quatenus Angelos in priori signo prædestinatos ordinavit Deus in finem gloriæ Christi, ut diximus de motivo Incarnationis. Quin imò potest dici finis prædestinationis, ita ita dicam, accidentalis Angelorum, quatenus Angeli fuerint prædestinati non solum, ut essent Beati, quòd factum est independentèr a Christo, & spectat prædestinationem ad gratiam, & gloriam essentialem, sed etiam ut essent Ministri Redemptoris, seu Redemptionis nostræ; & sub hac consideratione Christus est medium finis hujus illorum prædestinationis, sed etiam est causa efficiens, & meritoria gratiarum accidentalium ad id munus pertinentium. Et hoc alterutro sensu dicitur Christus *primogenitus omnis creaturæ.* Adde, quòd hæc Apostoli verba dicantur de Christo, ut Filio Dei.

Inst. Juxta vulgare axioma, *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum;* atqui Christus est primus in genere habentium gratiam essentialem: ergo. R. hoc axioma pati explicationem: sic enim homo, v. gr. est primus in genere animalis, & tamen non est causa aliorum animalium. Intelligitur ergo prædictum axioma, vel hoc sensu, quòd primum in unoquoque genere sit causa cæterorum, non semper efficiens, sed vel exemplaris, vel finalis: diximus autem, Christum etiam esse causam finalem Angelorum prædestinatorum, licet non prædestinationis eorum, nisi ad gratias accidentales. Vel intelligitur, quòd primum in unoquoque genere rerum naturalium



& necessario contingentium sit causa ceterorum; non autem si agatur de rebus, quae pendunt ex merito Dei beneplacito, quae omnem naturae ordinem transgrediuntur, quale est opus Incarnationis, & praedestinatio Angelorum.

Obj. 1. Angeli in via habuerunt fidem Christi venturi, ut docent Theologi cum D. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. ad 1. ergo & per Christum. Patet Cons. quia fidem quam antiqui Patres habuerunt de Christo, eam per Christum seu ex eius praevisionis meritis habuerunt. R. D. Ant. Angeli habuerunt fidem Christi venturi, ut Redemptoris, & Glorificatoris hominum, C. ut Redemptoris, & Glorificatoris sui, N. Nisi intelligatur quoad glorificationem accidentalem, & consummationem externam gloriae. Unde N. Cons. & ad probat. Disparitas est in solutione.

Inst. Si Angeli in via, & executione suae praedestinationis habuerunt fidem Christi venturi, decretum praedestinationis eorum supponebat decretum Christi venturi: ergo ruit tota huius Articuli doctrina. Prob. Sequela Ant. Praedestinatio non fit in tempore, nisi eo modo, quo fuit decreta ab aeterno; atqui in tempore praedestinatio Angelorum facta est ex concessis per fidem Christi venturi, saltem ut Redemptoris hominum, & Consummatoris gloriae Angelorum: ergo decretum praedestinationis eorum supponebat decretum Christi venturi. R. 1. N. Conseq. Quia etiam dato in sententia Sacrosanctarum, Christum prius Angelis fuisse praedestinatum, ut Consummator gloriae, & Redemptorem hominum; non tamen inde sequeretur, Angelos habuisse fidem, & gratiam essentialem per ipsum, siquidem, ut probavimus, omne eius meritum includatur, & consummetur in morte illius: non fuit autem praedestinatus, ut Redemptor mortuus propter Angelos, ut dictum est. Sed R. N. Sequelam, ad prob. D. Min. atqui praedestinatio Angelorum in tempore quoad gloriam essentialem facta est per fidem Christi venturi, N. quoad gloriam accidentalem, C. eodem sensu D. Cons. Explicatur. Praedestinatio Angelorum etiam ut in mente divina dupliciter potest considerari; uno modo absolute, & quoad substantiam, alio modo secundum habitudinem, quam habuit ad praedestinationem hominum, quorum futuri erant socii, & concives in gloria, ac redemptionis ministri. Sub prima consideratione, completa, & perfecta est praedestinatio Angelorum ante praevisionem Christi, & absque fide illius: quia tamen non subsistebat in nuda substantia justificationis, & glorificationis, sed ulterius ob rationem dictam erat perfectibilis per accidentalia dona; sub hac consideratione, completa est accidentaliter per Christum, & fidem Christi. Sic similiter in executione, ita ut fides Christi se habuerit tantum concomitanter in eorum justificatione, & glorificatione essentiali. Ex quo ulterius habes, quod licet acuti fidei, quem Angeli habuerunt in via, si secundum substantiam consideretur, & quatenus erat actus fidei aliorum mysteriorum, v. gr. Trinitatis, aliquis gradus gloriae essentialis correspondeat; secus tamen, si consideretur, ut terminatus ad Christum, quia sub hac ratione non ingrediebatur praedestinationem eorum essentialem, ut dictum est.

Obj. ultimo. Homines habent ex meritis Christi gratiam, & gloriam essentialem, quia est caput illorum; atqui est etiam caput Angelorum, ut probavimus: ergo R. D. Maj. quia est caput illorum praecise, N. quia est tale caput, scilicet principaliter ordinatum ad redemptionem, & justificationem eorum, C. Hoc autem non currit in Angelis.

Inferes: Ergo Christus non erit simpliciter caput Angelorum, sed secundum quid tantum; quod repugnat tot testimonio Scripturae, & Patrum: supra relatis. R. D. Illatum. Non erit simpliciter, id est, omnibus modis, & omnino perfecte, C. id est, vere, & absolute, N. licet enim sit de ratione capitis naturalis, ut vitam essentialem influat in membra, non tamen est de ratione capitis moralis. Patet in summo Pontifice respectu Ecclesiae, in Rege respectu Reipublicae. Unde, quamvis Christus non influat in Angelos gratiam, & gloriam essentialem, quia tamen in eos influat, & secundum gubernationem externam, & secundum communicationem donorum accidentalium, dicimus eum simpliciter, id est, vere, & absolute, caput Angelorum, licet non omnibus modis, nec ita perfecte sicut hominum.

Petes, utrum Christus, ut homo sit etiam caput irrationalium creaturarum? R. Negative, proprie loquendo; quia nihil supernaturale in ipsas influat, naturalia autem a Deo, ut auctore naturae, accipiunt. Unde Aug. Ep. 113. *Meruit nobis Christus, ut justificemur, non ut homines, vel liberi essemus.* Nec refert, quod in Scripturis dicatur: *Primogenitus omnis creaturae, & omnia ei subiecta esse.* Id enim potest intelligi, vel quia est finis omnis creaturae sensu quo alibi explicuimus; ad rationem autem capitis plus requiritur, quam influxus finalis, ut etiam diximus. Vel quia potestatem habet in omnem creaturam, unde magis proprie dicitur eorum Dominus, quam caput. Vel quia per ly *Omnis creaturae* intelligitur homo, qui participat aliquid de omni creatura, juxta illud, *Predicavit Evangelium omni creaturae.* Insuper prima auctoritas, quae est Ep. ad Coloss. c. 1. in-

telligitur de Christo, ut est Filius Dei subsistens in natura divina, ut legenti textum patebit.

ARTICULUS IV.

Per quam gratiam Christus constituatur caput Ecclesiae?

Dico. (Hic art. 5.) Gratia Christi capitalis non est ipsa gratia unionis praecise, sed gratia habitualis ut connotans gratiam unionis. Est contra Vasquem, & quosdam Recentiores. Prob. (Ibid.) Ea gratia in Christo est capitalis, per quam influat, seu saltem constituitur potens influere in membra Ecclesiae gratiam, & justificationem, influxu scilicet morali per opera infinite meritoria; atqui illa gratia, per quam, &c. non est gratia unionis, sed gratia habitualis, ut connotat gratiam unionis. Ergo Maj. est certus ratio enim influxus in membra est id, quod maxime attenditur in capite, & quidem influxus moralis in hoc capite Christo: quia, licet influat etiam instrumentaliter physice, non tamen hoc influxu praecise constituitur caput, si quidem antiquorum Patrum caput fuerit, in quos non potuit influere instrumentaliter physice, cum tunc nondum existeret. Difficultas itaque est in Minori Prob. 1. Per id unumquodque agit, per quod est in actu, ita ut idem sit actus, quo est in actu, & quo agit, sic idem est calor, quo ignis est calidus, & quo calefacit, & per id agit in alios, per quod est eminentius illis in actu; agens enim est praestantius patiente; atqui Christus ut homo non constituitur in actu naturae scilicet supernaturalis per gratiam unionis, sed per gratiam habituales, quae intrinsece informantur, ut supra probavimus; & ratione gratiae unionis habet haec gratia maximam eminentiam, & talem, ad quam nulla pura creatura pertingere potest, ut etiam alibi diximus. Ergo. Hic sinit ratio Auctoris.

Prob. 2. prima Min. & magis illustratur ratio D. Thom. Per eam gratiam Christus ut homo influat, seu constituitur potens influere moraliter gratiam in membra Ecclesiae, quae est ipsi principium quo illis merendi, & condigne pro illis satisfaciendi, hoc est, eliciendi actus supernaturales infinite meritorios, & condigne satisfactorios; atqui Christo homini principium quo operandi non est gratia unionis, cum illum non informet physice, nec cum eo identificetur, sed gratia habitualis, a qua intrinsece informatur, & quae est principium operativum quo radicaliter, ut dictum est; infinitatis autem in valore operum, & condignitatis in satisfaciendo principium formale est gratiae ipsius conjunctio ad gratiam unionis: ergo illa gratia, per quam &c. non est gratia unionis praecise, sed gratia habitualis, ut connotans gratiam unionis.

Ultra hanc praecipuum capitis prerogativam, aliis etiam duabus gaudet gratia personalis Christi respective ad gratiam hominum, & Angelorum. Est enim prior, non quidem tempore, sed dignitate, & eminentia, utpote finis: est etiam perfectior, utpote maximam habens plenitudinem, ut dictum est.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Gratia unionis est prior, & perfectior gratia habituali, & gratia aliarum creaturarum; & ab illa, non a gratia habituali derivatur valor meriti, & satisfactionis Christi pro hominibus utpote infinitis. Atqui haec tres conditiones constituunt rationem capitis, ut dictum est: ergo R. D. Maj. per singulas partes. Gratia unionis est prior, & perfectior gratia habituali, simpliciter, & in ordine hypostatico, C. Maj. secundum quid, & in ratione principii operativi quo, N. Maj. Prioritas enim, & perfectio sub illa ratione soli gratiae habituali Christi competit, quae intrinsece informat animam Christi, & in ea habet rationem naturae in ordine supernaturali. Prioritas autem, & perfectio in ratione principii operativi maxime attenditur in gratia capitis, quia caput est in genere activi, & operativi in membra, ut patet. Similiter D. ultimam partem Maj. Omnis valor meriti, & satisfactionis Christi derivatur a gratia unionis remotè tanquam a praesupposito, & connotato, C. Maj. proxime tanquam a principio effectivo, N. Maj. & intellecta Min. ad sensum Maj. N. Cons. Verum est ergo, quod omnis fons, & origo, unde promanat valor infinitus in operibus Christi, sit ipsa gratia unionis, seu persona divina unita humanitati; quia tamen non est operativa quo illorum operum, sed tantum conditio constituens agens ut quod, non potest nisi mediante principio quo hanc infinitatem operibus communicare, nec ideo esse gratia capitis, de cuius ratione est, quod sit elicitiva quo illorum meritorum. Id autem praestat gratia habitualis, ut connotat gratiam unionis. Et 1. cum habeat rationem naturae in ordine supernaturali, est radicaliter operativa quo actionum supernaturalium. 2. quia ex conjunctione ad Verbum haurit supereminentiam, & quandam dignitatem moraliter infinitam, & illam communicat actionibus ab ipsa procedentibus. Ex quo colliges, quod, il-

licet gratia habitualis Christi sit ejusdem speciei cum nostra in esse physico, non tamen in esse moris; & quod gratia purae creaturae, quantumvis perfectior, non possit unquam ipsam constituere caput aliorum: siquidem hanc eminentiam habeat gratia Christi ex conjunctione ad Verbum.

Obj. 2. Si Christus non haberet gratiam habituales, foret nihilominus adhuc caput nostrum: ergo. Prob. Ant. Gratia habitualis non est ipsi absolute necessaria, ut possit elicere actus meritorios, ut dictum est: ergo R. D. Ant. Si Christus &c. foret adhuc caput nostrum ratione personalitatis divinae, seu gratiae unionis, N. per illam enim non constituitur operativus meriti; ratione auxilii transeuntis, seu alterius doni superadditi supplementis vices gratiae habitualis, C. Unde ubi habetur ipsa gratia habitualis, qua est connaturaliter operativus, & influxivus, a fortiori per illam constituitur caput.

Obj. 3. Secundum doctrinam traditam sequitur, quod gratia Christi personalis, & capitalis sit eadem realiter sub diversa ratione; personalis quatenus sanctificat Christum, capitalis quatenus constituit eum potentem influere in alios; atqui id dici non potest: ergo. Prob. Min. Gratia ordinata ad aliorum sanctificationem non est gratia gratum faciens, sed gratis data: ergo R. N. Min. Sicut enim est idem calor, quo ignis est actu calidus, & quo potens est alia calefacere; ita de gratia respectu Christi, ut dictum est in prob. Concl. Ad prob. D. Ant. Gratia primario ordinata ad aliorum sanctificationem non est gratia gratum faciens, C. secundario tantum, N. Ant. & Conseq. Patet.

Inst. Idem non potest esse particulare & universale; atqui gratia personalis est particularis, capitalis est universalis: ergo R. D. Ant. Idem sub eadem ratione non potest esse particulare & universale, C. sub diversa ratione, N. Maxime, si agatur ut hic de universalitate in causando: sic idem calor ignis, quatenus eum actuat, est particularis; quatenus eum constituit potentem alia calefacere, est universalis.

Repones. In capite nostro naturali, scilicet Adamo, aliud fuit peccatum ejus personale, & aliud originale, quo alios infect: ergo similiter alia in Christo gratia, &c. R. N. Ant. Idem enim actuale peccatum Adae, quatenus ipsis personam afficit, dicitur personale; & quatenus est causa, cur natura corrupta privata iustitia originali nobis communicetur, dicitur in ipso Adam peccatum originale.

ARTICULUS V.

Variae quaestiones circa praesentem materiam ex ceteris articulis D. Thom. breviter expenduntur.

Petes 1. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo? R. (Ibid. art. 6.) esse caput secundum intrinsecum influxum gratiae, & justificationis est proprium Christo; quia, ut diximus, hoc habet ex gratia habituali ut conjuncta Verbo. Esse (Ibid.) autem caput secundum externam gubernationem potest aliis convenire a Christo, sed differenter. Christus enim est hoc sensu caput secundum omnem locum, tempus, & statum; alii autem homines dicuntur capita secundum specialia loca, sicut

DISSERTATIO X.

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

D. Thom. Quest. 10.

Mittimus hic q. 9. D. Thom. in qua quaerit 1. An Christus habuerit scientiam creatam ut sic? 2. An beatam? 3. An intuitam? 4. An acquisitam? quia hanc, & duas sequentes Dissert. a tribus ultimis particularibus incipiemus. Quoad vero 1. articulum huius Quaestionis nonne, S. Doctor in illo articulo non loquitur de scientia strictè sumpta, sed generaliter sumpta pro quacunque creatura intellectus cognitione. Pro quo suppono ut certum de fide, fuisse in Christo scientiam; seu intellectionem creatam. Definuit enim contra Monothelitas in 6. Synodo Ad 4. omnia in Christo esse duplicia, id est, duas naturas, & unamquamque proprietatem naturalem habere. *humanam omniam, quae humana sunt absque ullo peccato.* Ergo & intellectionem creatam. Patet enim ex Script. Joann. 8. dicit Christus de Patre, *Scio eum, & sermonem ejus sermo;* servabat autem sermonem ejus per actiones creatas ut homo: ergo sciebat eum per scientiam creatam. Insuper oravit Christus, *meruit, & alia multa fecit ut homo;* quae sicut non sine actu voluntatis creatae, ita nec sine actu intellectus creati fieri poterunt.

Sua datur ratione. (Hic q. 9. art. 1. o.) Christus assumpsit

Episcopus suarum Ecclesiarum; vel secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiae, scilicet tempore sui Pontificatus; vel secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Altera est differentia; quod Christus sit hoc sensu caput Ecclesiae propria virtute, & auctoritate; alii vero dicuntur capita, in quantum vicem gerunt Christi, juxta illud 2. Cor. 5. *Pro Christo legationem fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

Dices: Concionatores, & Sacramentorum Ministri causant gratiam interius: ergo R. quoad Concionatores, eos causare gratiam persuadendo exteriori, non autem influendo interius. Quoad Ministros Sacramentorum, influere quidem gratiam non ratione virtutis sibi insitae, sed ratione Sacramenti, quod administrant, Christus autem virtute sibi insita ex conjunctione ad Verbum.

Petes 2. Utrum Lucifer princeps demoniorum sit caput omnium malorum? (Ibid. art. 7. o.) Non esse caput malorum, influendo interius in eorum voluntatem: cum enim omnis actus elicitus voluntatis sit naturalis, & non possit quoad hoc violentiam pati, nihil ipsam causare interius effective potest, nisi ipsa voluntas, vel naturae seu ipsius voluntatis Actor, qui est Deus. Est autem Diabolus caput malorum quoad externam gubernationem, quatenus per suggestiones, & tentationes eos reducendo ad peccatum adducit ad suum finem, qui est aversio a Deo.

Dices 1. Diabolus incitat ad malum, non solum per suggestiones, & tentationes exteriores, sed etiam interiores: ergo non est solum caput malorum quoad externam gubernationem. R. per externam gubernationem Diaboli S. Doctorem non eam solum intelligere, quae est visibilis, qualis est Principum, & Praelatorum, sed illam omnem, quae est extra essentialiam animae, & voluntatis, in quam Diabolus illabi non potest, ut docetur 1. 2. q. 9. & q. 80. art. 1.

Dices 2. contra 2. partem: non omnes peccant ex suggestionibus Diaboli, sed aliqui ex proprio motu voluntatis: ergo R. N. Conseq. (Ibid. ad 2.) Quia diabolus primum omnium peccavit, & peccatum suum velut signum aliis omnibus sequendum proposuit. Ad rationem vero capitis secundum externam gubernationem sufficit, si isto modo alios in suum finem adducat, ut patet in Gubernatore, vel Duce exercitus, qui non semper suggerit singulis subjectis, ut suae voluntati obediant, sed proponit omnibus vexillum militiae, vel suae voluntatis signum, ad cuius sequelam aliqui excitantur inducti, alii nullo persuadente, sed propria sponte.

Utrum vero Adam possit etiam dici caput malorum; videtur; quod non. Quia, licet mediante generatione tradatur in posterum peccatum originale, a quo actualia derivantur, id tamen non fit ex intentione ipsius directae.

Petes 3. Utrum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum? R. (Ibid. art. 8. o.) esse caput non quoad prioritatem temporis, cum sit tantum in fine temporum venturus; neque quoad influxum, cum in peccatores ipso anteriores influere non possit; sed tantum quoad perfectionem, & eminentiam malitiae, ita ut omnes mali, qui eum praecesserunt, sint quasi imago, & figura Antichristi.

perfectam humanitatem; atqui ad perfectionem humanitatis requiritur, quod actu intelligat intellectione sibi propria, & naturali: ergo. Prob. Min. 1. Natura humana est in potentia ad intellectionem; atqui quod est in potentia ad aliquid, imperfectum manet, si non reducatur ad actum: ergo 2. Intellectus est propter intellectionem creatam ut finem, omnis enim potentia est propter suam operationem; atqui potentia frustrata suo fine est imperfecta: ergo.

Utrum autem intellectus Christi humanus potuerit de potentia Dei absoluta intelligere per incretam Dei intellectionem? R. negative. Patet ex Ep. Agathonis Papae, relata act. 4. VI. Synodi, ubi sic habetur: *Non potest Angelica natura divinam habere voluntatem aut humanam, neque humana natura voluntatem Dei, vel Angelis:* Ergo nec Dei cognitionem, cum eadem sit ratio de cognitione, ac de voluntate. Prob. ratione. Intelligere est actus vitalis, seu est vivere, & quidem gradu perfectissimo; atqui implicat, intellectum creatum vivere vita, seu actu alieno: ergo. Patet Min. quia vivere est moveri ab intrinseco tanquam a principio radicali vitae; implicat autem naturam di-